

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 17. 2) Casus circa cambia trassata obvenientes.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

non nisi ad processum cambialem pertinere, non vero in univcrsum et ad jura in aliis processibus generibus persequenda requiri.

SECTIO III.

In quibus casibus protestatio cambialis requiratur.

§. 16.

1) *Praecepta generalia.*

Praemissis generalioribus meditationibus ad singulas quaestiones circa hanc rem obvias convertere me possum. Maximi momenti merito censetur esse ista: quibus in casibus necessaria habenda sit protestatio cambialis? Responsio ad eandem, quantum quidem mihi videtur, ex praecedentibus eo danda est, requiri eandem necessario de omnibus istis factis, ubi 1) tertius actionem quandam, quam ab ipso secundum cambii cursum exigere possum, peragere non vult, ubi 2) cambii possessor jura ab omissione factorum tertii pendentia contra alium persequi vult, atque igitur 3) hunc in finem facta tertii, sive sint omissionis sive commissionis, in processu cambiali probare debet.

§. 17.

2) *Casus circa cambia trassata obvenientes.*

Progrediendum vero est ab his principiis generalioribus ad singulos, qui protestationem postulant, casus. Cambiorum duo genera esse, quorum unum trassatum, alterum proprium vocetur, tralatitium est. Initium ca-
C
pia-



pianus a trassatis, quoniam de istis extra dubium positum est, quod saepenumero protestationem requirant, licet circa singula facta controversa est res et plena dissensionum inter doctissimos. Nominant praecipue res duas, circa quas in cambiorum trassatorum cursu occurrere possint protestationes: Acceptationem scilicet et solutionem, quae, quamvis maximi sane momenti sint, nondum tamen iis omnis protestationum occasio exhauritur. Ordiamur tamen expositionem ab istis.

§. 18.

a) *Circa eorundem acceptationem.*

a) *Plane denegatam*

N) *sive per trassatum primum.*

Quantum ergo ad acceptationem, omni dubio caret, protestatione opus esse, simulac acceptationem in totum denegat trassatus, dummodo actione ad trassantem regredi velit cambii dominus. Res omnimodo aperta est. Regressus erga trassantem non patet, nisi trassatus ei, quod ab eodem postulavit trassans, non responderit. Ab isto facto omnia pendent. Hoc igitur probandum est, et quidem, ut in omni processu cambiali, liquide et plene; quod nullo modo nisi protestatione cambiali legitima te posse, supra jam demonstratum est.

§. 19.

b) *Sive per illos, ad quos literae commendatitiae directae sunt.*

Iteranda quoque est protestatio, cum cambium per trassantem in casum acceptationis a primo trassato denegatae ad alios trassatos directum sit (quod *Nebenadresse, Nothadresse*, latine interdum *literas commendatitias*,

